

Richter

N^o 46 (G.F.)

DISSERTATIO MEDICA

DE

INFANTICIDIO
IN ARTIS OBSTETRICIAE
EXERCITIO NON SEMPER EVITABILI.

Q V A M

CONSENTIENTE

GRATIOSO MEDICORVM ORDINE

PRO GRADV DOCTORIS

DIE XXX. MART. MDCCXCII.

H. L. Q. C.

AD DISCEPTANDVM PROPONIT

CHRISTIANVS FRIDERICVS RICHTER ✓

ZITTAU. LVSAT.

MEDICINAE BACCALAVREVS.

LIPSIÆ

EX OFFICINA SOMMERIA.



40

DR. J. W. WALKER, M.D.

IN AN ATTEMPT

TO ESTABLISH

A FREE DISPENSARY

FOR THE

RELIEF OF THE

POOR AND SICK OF

THE CITY OF

MEMPHIS

BY

THE BOARD OF

MANAGERS

OF THE DISPENSARY

1850

PRINTED BY

VIRI S
MAGNIFICIS, ILLUSTRIBVS, EXCELLENTISSIMIS,
EXPERIENTISSIMIS, AMPLISSIMIS.

IOANNI CAROLO GEHLER

PHILOSOPH. ET MEDIC. DOCT. THERAP. P. P. O.
FACULTAT. MED. DECANO, ACAD. DECENV. COLLEG.
MAJ. ET MIN. PRINCIP. COLL. H. TEMP. PRAEPOS.
MAGNO SOCIET. OECON. LIPS. MEMBR. HONOR.
CIVITAT. LIPS. POLIATRO ETC.

CAROLO CHRISTIANO KRAVSE

PHIL. ET MED. DOCT. ANAT. ET CHIR. P. P. E.
FACULTAT. MED. ET COLL. PRINC. MIN. SENIORI
HVIUSQVE H. T. PRAEPOSITO.

IOANNI GOTTLOB HAASE

PHIL. ET MED. DOCT. ANAT. ET CHIRVRG. P. P. O.
FACVLT. MED. ASSESS. SOCIETAT. REG. GOETTING.
CORRESP. ET OECONOM. LIPS. SODALI.

ERNESTO PLATNER

PHIL. ET MED. DOCT. PHYSIOLOG. P. P. O. FACVLTAT.
MED. ASSESS. ACAD. DECENV. COLLEG. MAJ. PRINC.
COLLEG. NATION. SAXON. SENIORI ET SOCIETAT.
OECON. LIPS. SODALI.

ADAMO MICHAELI BIRKHOLZ

PHIL. ET MED. DOCT. FACVLT. MEDICAE ASSESS.
COLLEG. MAJ. PRINCIP. SODALI.

IOANNI EHRENFRIED POHL

PHIL. ET MED. DOCT. SERENISS. PRINC. ELECT.
SAXON. CONSIL. AVL. ET ARCHIATRO PATHOL.
P. P. O. FACVLT. MED. ASSESS. ACAD. NAT.
CVRIOS. ET OECON. LIPS. SODALI.

CHRISTIANO FRIDERICO LVDWIG

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOL. P. P. O. SVBSTIT.
HISTOR. NATVRAL. P. P. E. FACVLT. MED. ASSESS.
PRAEFECTVR. LIPS. PHYS. PROVINC. ACAD. NATVR.
CVRIOS. SOCIETATT. OECON. LIPS. NATVR. CVRIOS.
BEROL. ET HALENS. SODALI, SOCIETT. R. SCIENT.
MONSPÉL. AGRICVLTVRÆ PARIS. MED. TVRIC.
ET MVSEI PARIS. CORRESP.

ERNESTO BENIAMIN GOTTLIEB HEBENSTREIT

PHIL. ET MED. DOCT. P. P. EXTR. FACVLT. MED.
ASSESS. ADIVNCT. SOCIETATT. OECON. LIPS. ET
NATVR. CVRIOS. HALENS. SODALI, SOCIETT. REG.
GOTTINGENS. AGRICVLT. PARIS. ET MVSEI
PARIS. CORRESP.

HASCE STVDIORVM ACADEMICORVM
PRIMITIAS

PIA DEVOTAMENTE

D. D. D.

A V C T O R.

Qui

Qui cogitauerit, quam difficile sit, artem obstetriciam probe ediscere, quam longe difficilius eandem dextre et cum laude facere, is, puto, haud mirabitur, per paucos vitro huius artis studio sese totos deuouere, plurimos immensis paene difficultatibus absterritos eam vix a limine salutare. Accedit et hoc, neminem facile tam firma prosperaque valetudine frui, quin obstetriciae artis exercitio subinde in vitae discrimen adducatur, neminemque, quantumuis habilis peritusque eius artis sit, obtreptatorum calumnias et inuidiam effugere posse. Quis enim est, qui nesciat, dummodo summis tantum labris degustauerit artis obstetriciae elementa, quam difficilis utplurimum sit foetus vel quacunq[ue] parte praeuia immobiliter haerentis vel ob tumida manuu[m] praepostera rudique obstetricis fauciatam mulieris genitalia, vel denique ob cunctationem et diuturnam moram arctius inclusi versio? quantaque nonnunquam, si foetus integer in lucem edi nequit, obstetricantis medici sanitati quin eius vitae pericula minetur singularum foetus partium prolapsarum impactarumve excisio aut capitis in deformata arctaque pelui impacti perforatio atque extractio? Silentio praetereo insignem tædioque plenum laborem, quem impendere rudis obstetri-

cum turbae institutioni medicus obstetricius cogitur; neque illum animi sensum, ingratum omnino atque molestum, commemorabo, quo afficitur obstetricans detectis grauissimis, neque facile condonandis, obstetricum in ope, parturientibus praestita, commissis erroribus; nihil addam de viliori ac sane exigua laborum molestissimorum remuneratione; quae omnia certe sunt eiusmodi, vt haud incongrue mireris, esse adhuc aliquos, qui artam ingratae operam dare sustineant. Inhorrescunt multi artis ignari, sicubi alicuius obstetriciae operationis mentio iniicitur, parumque abest, quin detestentur ferociam medici obstetricii, quem putant saepe praeter necessitatem aut laniandi cupiditate incensum, carnificem agere nouaque miserarum feminarum supplicia excogitare, vel periculi faciendi causa in viuae matris foetusque viscera saevire. Atque hoc, proh dolor! verum est, multisque adhuc medicorum in foro versantium relationibus et decisionibus demonstratur, aliquos esse, imo multos, in quos haec opprobria non immerito coniciantur, quique, siue festinanter id faciant, siue genuinae artis prorsus ignari sint, siue denique omnem humanitatis sensum deposuerint, protinus, vt ad parturientes accersuntur, praeter omnem necessitatem vncis, cultris terebrisque matres et infantes dilaniant. Illud autem plane ferendum non est, istorum hominum facinora aliis exprobrari peritioribus, qui inexpugnabili necessitate coacti ferro operantur. Attamen vtilissimum est, nec satis commendandum praeceptum: medicos et chirurgos non modo non imprudentes ac feroces esse, verum etiam, ne videri quidem oportere. Quod tum maxime tenendum est, si matris pariter ac infantis vita periclitari videtur, ne imprudenter quidquam moliendo arti, famae ac conscientiae nostrae noceamus.

Difficil-

Difficillimum autem est omnem culpam effugere, si ob insignem capitis foetus molem, vel ob angustissimum pelvis maternae distortae et deformis spatium, vel denique ob consumtas paene matris vires vitales, neque foetus integer salua matre in lucem protrahi, neque mater, nisi dissecto foetu seruari, neque partus negotium sine summa vtriusque pernicie diutius soli naturae committi potest. Quidcunque enim agere decreueris, aut foetum, aut matrem perire tantum non semper necesse est, hoc autem incertum est, an vnus morte vitam alterius redempturus sis.

§. I.

Sed ne in recensendis difficultatibus in artis exercitio obuientibus illam partus difficilis causam omittam, quae paragonphosis dicitur; necesse est, vt nonnullas animaduersiones, ad hanc spectantes, addam. Si nempe caput foetus vel ad ossa pubis vel ad ischia matris tantopere adpressum est, vt inpactum firmiter haereat, paragonphosis hoc situs vitium vocatur; cuius varios gradus esse experientia docet. Alias enim caput, eo, vt plerumque solet, modo de pelui descendit, alias oblique imminet, alias ipsis peluis osseae angustis, alias genitalium externorum tumore alioque graui vitio retinetur. Accidit etiam, vt ipsum foetus viui caput ob diurnam in claustris maternis moram immaniter intumescat, sibi que viam praeccludat. Vnde facile intelligitur, paragonphoseos euentum pro diuersis eius causis varium esse posse. Equidem omittis caeteris huius vitii generibus, quae vel parum difficultatis habent, vel a meo proposito aliena sunt, illud tantum attingam, quod nullam instantis partus feliciter terminandi spem relinquit, nisi vel ventre feminae

inciso, vel dissecta pubis cartilagine, vel cranio dissecto, cerebroque exempto foetus protrahatur. Ego vero non ignoro, inter recentiores artis magistros esse nonnullos, qui veram paragomphosin accidere negent, nisi obstetricis vel culpa, vel negligentia illa fiat. Scilicet haud incongrue illi monent, caput foetus, quod plerumque maiore suo diametro in ampliorem seu transversam pelvis lineam incidat, inter duo tantum pelvis puncta e regione sibi opposita immobiliter haerere posse, v. c. inter pubem et ossis sacri promontorium, atque tum facili negotio protrahi posse, praesertim si in superiori pelvis apertura retineatur. In his sane nihil est, quod veritati repugnet, sed rarum est, medici obstetricii operam satis tempestive postulari, longe frequentius, eum tum demum aduocari, cum caput foetus iam insigniter tumidum a matris genitalibus inflammatis, tumefactis vel adeo gangraena corruptis tam arcte continetur, vt fere impossibile sit vnum saltem digitum intromittere. Vtuncque autem ista se habeant, hoc tamen neminem negare puto, paragomphosin, siue vera sit et absoluta, siue ab initio in duobus tantum punctis fiat, difficillimum esse partus obstaculum, quod non nisi efficacissimis artis adminiculis superari possit.

§. 2.

Quodsi igitur vel ob insignem capitis infantilis molem, vel ob nimiam pelvis osseae maternae angustiam, vel ob alias matris conditiones, v. c. partium vel internarum vel externarum tumorem, laesiones, gangraenam, parturientis conuulsiones, praegressam haemorrhagiam etc. neque forcipibus neque aliis enchirisis quidquam profici poterit, inter haec tria modo optio datur; sectionem

sectionem nimirum caesaream, Synchronotomen et capitis foetus perforationem. De his artis auxiliis diuersae sunt auctorum sententiae; aliis sectionem caesaream, aliis Synchronotomiam, aliis capitis foetus perforationem commendantibus. Atque inter hos etiam dissensio est, qui foetum, exempto cerebro, vncis protrahi volunt; longe plures enim id fieri debere negant, nisi foetu antea mortuo; reliqui autem neglecta mortis expectatione foetum, si seruari nequeat, trucidari, quam matrem in extremum periculum adduci malunt. Habent hi omnes argumenta, quibus suam sententiam exornent atque propugnent; et neminem esse existimo, quin videat, caesaream sectionem et Synchronotomiam sua commoda habere: neque caput foetus festinanter ferro perfodiendum esse, dum tuto absque matris discrimine eius mortem expectare liceat. Mihi autem propositum est, hac scriptiuncula ostendere, tristem illam necessitatem vere subinde incidere, quae, nulla alia spe relicta, foetum, etiam viuum, vita priuari iubeat.

§. 3.

Dixi autem, multos artis obstetriciae magistros suadere ac sedulo commendare; expectandam esse foetus ipsius mortem, ne forte viuum adhuc et vegetum trucidemus. — Sed aegre definiri atque rite cognosci potest foetus mors, et tempus in quod illa incidit, quia 1) foetus exanimis videri potest, etiamsi adhuc viuus et vice versa 2) mortuus esse potest, licet viuus vegetumque illum existimauerimus. Et si vel maxime 3) de foetus vita certi simus, quaedam tamen matris conditiones v. c. haemorrhagia insignis etc. summum ac certe tantum periculum

culum matri minitari possunt, ut partus, quocumque modo fiat, nulla ratione procrastinari debeat. Quid? quod 4) obstetricans medicus, qui rebus sic stantibus, foetus mortem placide expectat, nihil agendo, eodem modo quam ille, qui ferro velpugione caput perfodit, arte sua mortis foetus auctor est. Uterque igitur infantem, quem servare haud poterat, necasse videtur. — Aiunt quidem, mortem foetus expectandam esse. Igitur inevitabilem esse fatentur, hoc tamen assequi suo consilio volunt, scilicet ut per unam alteramve horulam diutius vita foetui servetur, qua tamen, in tantis uteri materni angustiis pressus undique et conquassatus, frui omnino nequit! Quod vero obiiciunt, infantem perforato cranio vivum adhuc ex utero protrahi posse, planctumque miserabili tortoris sui chirurgi atrocem crudelitatem subinde testari, id quidem magis ad commouendum animum efficitum, quam veritati consentaneum est. Nam fieri omnino non potest, ut foetus, exsecto cerebro, vivus in lucem prodeat. Neque satis video, quomodo in ea, de qua nunc disputamus, rerum conditione mortem foetus expectare possimus cum certa eius indicia vere nulla habeamus. Varia quidem, quae huc faciunt, signa ab auctoribus recensentur, nempe: *α*) Foetus motus in utero prorsus cessans, *β*) arteriarum vel in foetus membris, vel in fonticulis, vel denique in funiculo quies: *γ*) Cuticulae a cute facilis secessio, *δ*) Putredo, *ε*) Praeviarum partium flacciditas rugosa, tum maxime manifesta, si paulo antea illae duriores tensaeque fuerant: *ζ*) Meconii effluxus.

At facile ostendi potest, inter haec signa nullum esse, cuius praesentia mortem, absentia vitam foetus constanter et indubitanter indicet. Nam, quae primo loco
comme-

commemoratur motus omnis in foetu cessatio, ea parum valet ad mortem declarandam. Scilicet quotidiana experientia persuademur, motum omnem in ultimo partus momento prorsus deficere, praepriis, si caput in pelvis aperturam dolorum vi intrusum immobile haeret, omnisque amnii liquor iampridem effluxit. Praeterea tanta saepenumero est mulierum, primipararum maxime, ignorantia, ut frustra scisciteris, an motum infantis sentiant. Aliae malitiose et consulto perceptum motum dissimulant, aliae vel experientia pristina edoctae, vel adstantium promissione persuasae sperant, fore, ut medicus, foetum, quem putat exanimem, sine mora, quovis id modo fieri possit, extrahat, seque molestis partus cruciatibus exsoluat; atque hae quidem, cum omni labore nihil profici vident, foetum necari, quam ipsae vitae discrimen subire malunt. Alterum vero foetus in utero mortui signum, arteriarum nempe in cranii fonticulis, in membris et umbilico quietem neque diiudicari semper posse, neque, si posset, certum ac indubitatum mortis praebere indicium, nemo non fatebitur, qui artem obstetriciam exercet. Nam digitis tangi nequit arteriarum pulsus, vita foetus adhuc forte superstite, si is in arctissima pelvi compressus, non capite, neque umbilico, sed aliis corporis sui partibus haeret, vel, si arteriae in angusto loco compressae silent; vel denique, si umbilicalis funiculus praepinguis est aut aquae in eius cellulas effusae copia nimium intumescit. Haud raro etiam fieri potest, ut medicus pulsus foetus se percepisse falso existimet, suarum ipsius arteriarum in digitis micatu deceptus. Multi denique artis nostrae doctores testantur, se viuos partus, in quorum umbilicali funiculo pulsus arteriarum prorsus desierat, subinde protraxisse,

Cuti-

Cuticulae autem in foetu a subiacente cute facilis secessio vel abrasio ad certa mortis indicia referri nequit. Nemo enim nescit, varia subinde exanthematum genera foetum in utero adhuc inclusum, infestare posse; etiam varios in eius superficie abscessus *) nasci posse, denique fortuito casu et vi foris illata cutim lacerari, quod maxime fieri solet agrestium obstetricum rudi opera, quae saepenumero scabris callosisque manibus et sordidorum unguium acie tum feminarum uterum, tum foetus partes obuias misere vellicant, lacerant ac dilaniant, quo facto cuticulam abscedere necessum est. Quapropter non miror, qui fiat, ut interdum abrasae epidermidis frustula adhaereant digitis explorantibus. Ut nihil dicam de exigua, (exceptis artubus praeviis, vel toto ex uteri cavitae ad caput vsque extracto corpore) superficie, quae ut plurimum in male conformata atque angusta pelui exploranti manui sese offert, quamque circumductis digitis facile disquirere operatori licet.

De putredine autem, quamvis certum sit, eam, ubi foetum inuasit, huius mortem certo significare, difficile tamen plerumque est, iudicium ferre, an vere illa adsit, an adesse tantum videatur. Nam, qui vulgo pro eius signo habetur cadauerosus halitus ex puerperae pudendis prodiens, is multum abest, ut semper mortui foetus putredini tribui possit, cum nonnunquam ab
interno

*) Nuperrime explorans capitis fat magni atque incuneati situm, in altero eius bregmate talem abscessum, nimia capitis compressione disruptum, usque multum profundentem, nec non plures cuticulae pure resolutae ac depravae particulas digitis explorantibus adglutinatas deprehendi. Nihilo tamen secius viam prolem forcipe extraxi.

interno quodam partium muliebrium vitio, frequentius autem a sanguine ibi collecto et diuturniori mora corrupto pendeat, foetu ipso adhuc salvo et vegeto *). Neque vero fusci, vel nigrescentis humoris ex vulua defluxus foetus putridi, adeoque emortui, sat fidum indicium subministrat, cum idem a sanguine, vel a meconio, viuo adhuc foetu excreto, accidere possit. Digitis autem putredinem dignoscere et de eius praesentia carniū foetus, emortuarum et mollitiae sua paene diffluentium, tactu certiozem fieri, admodum difficile est, ne dicam impossibile in tanta, quam posuimus, peluis maternae arcitudine. Quamquam igitur WRISBERGIUS et LAEGERUS bene de arte obstetricia meruerunt, collectis expositisque signis iis omnibus, quibus putredo foetus in utero cognoscitur; dubito tamen, an ea in tali casu, qualem supra depinximus, sine omni erroris periculo inuestigari atque intelligi possint. Praecipue autem considerandum est, putredinem non protinus, vt foetus extinctus est, sese eidentissimis signis manifestare, sed lento gradu illam ingruere; ideoque, si eam expectare velis, vt de infantis morte certo tibi constet, fieri facillime posse, vt mulier parturiens, dum cunctaris otiosumque spectatorem agis, tot tantisque malis oppressa, animam reddat.

Flaccida autem et fere emarcida partium foetus praeviarum mollities pro certo mortis signo eo minus haberi potest, quo magis notum est, eam plerumque in ea partus

*) Vidi viuum puerum nasci, cum horrendus foetor ex mulieris sinu antea proruperat, quem postea ab uteri exulceratione ortum esse constitit.

tus conditione, quae infantem ob nimiam peluis angustiam, per genitalia viuum progredi haud finit, ob minorem corpusculi portionem, digitis palpabilem, apte discerni non posse. Praeterea non desunt exempla, quae edoceant, infantem, cuius tota superficies mollis et rugosa est, viuum subinde edi posse. His adde; partem foetus casu quocunque antea tumefactam collabi marcidamque fieri posse. Interim non nego, maiorem superstitis vitae spem facere partes foetus praeuias tumentes, elasticas et multo sanguine repletas, quam flaccidas marcidasque. Denique eos etiam vehementer errasse, qui foetus in utero haerentis meconium effluens vt certissimum mortis signum depraedicarunt, ex diuersis clarissimorum virorum scriptis liquet, et quotidiana experientia comprobatur. Itaque sedulo inculcandum esse arbitramur obstetricibus, ne foetum, cuius meconium effluerit, statim pro mortuo habeant, sed potius prouidam curam adhibeant omnique studio allaborent, vt eius vitae parcant.

Caetera vero minus certa mortis signa omitto, v. c. diuersi infantis situs explorationem, temporis ab incepto partus negotio vsque ad medici aduentum elapsi computationem, caussarum dein vela matris diaetae vitiis, vel ab externa quavis iniuria in foetum turpiter illata pendentium scrutinium, etc. ex quibus omnibus nunquam aliquid hariolari, nihil autem decernere licet, cum vtplurimum ex sola relatione feminarum innotescant, quarum fides ob summam ignorantiam, vel socordiam, vel adeo malitiam admodum suspecta est. — In tanta igitur signorum vitae ac mortis incertitudine neminem facile fore existimo, quin sibi persuadeat, in eo foetus situ, qui viuum illum
in

in lucem edi plane non permittit, medicum non semper sine certissimo matris mortis periculo foetus mortem expectando, cunctari et a capitis perforatione abstinere posse.

§. 4.

Aiunt alii: perforationi praefereudas esse et sectionem caesaream, et sychondrotomiam. At nunquam impune adhibebis alter vtram operationem: si 1) ob nimiam haemorrhagiam praegressam matris vires nimis exhaustae sunt. 2) Raro praeterea parturientes has operationes admittunt; neque si illas admiserint, 3) ab omni vitae periculo immunes ac liberae sunt. 4) Incertum insuper est atque dubium, an huius vel illius exercitio foetus vitam seruaturus sis.

Paucissimae omnino feminae de vita prolis ita sunt sollicitae, vt ipsae mortem oppetere, quam illam necari malint; longe plures autem, cum vident, se exhaustis omnibus artis auxilium in extremo vitae discrimine versari, medicum obstetricantem, vt foetum, qui integer nasci nequit, diffecet, implorant atque enixe obtestantur. Inter millenas autem vix vnam reperies, quae sectionem caesaream aut sychondrotomiam subire, nedum poscere audeat. Neque vero etiam, si parturiens mulier tam forti intrepidoque animo est, vt cultrum ipsa non reformidet, sectio pubis vel vteri statim fieri potest, vel debet.

Oportet enim medicum ante omnia probe perpendere, an quidquam huic chirurgiae obster. Ea videlicet non vbique recte et apte adhibetur, immo multa sunt, quae medicum ab ea instituenda absterrere debeant. Anceps enim est, vtraque tum vteri grauidi, tum pubis sectio, et plena periculi, quod paucissimae mulieres, eam

passae, euadunt. Vt autem bene cedat, permulta conspirare debent: loci, in quo fiat opportunitas, (nam non in quolibet lecto vel cubiculo apte peragi potest), tum, quod caput rei est, exquisitum victus et medicamentorum regimen, quo sine, chirurgus, licet dexterrime fecerit, feminam seruatum iri nequicquam sperare potest. At nemo est, quin, me etiam non monente, videat, quam difficile sit, ne dicam impossibile, haec omnia apud plerasque feminas illo chirurgiae auxilio indigentes, utpote ruri habitantes et pauperrimas, procurare. Accedit et hoc, saepenumero neminem esse, qui sectionem caesaream vel synchondrotomiam facere calleat, et inter medicos obstetricios paucissimos esse huius chirurgiae peritos. Dixit fortasse quispiam, ab artis obstetriciae exercitio prorsus remouendos esse, qui cultro chirurgico apte uti nesciant. At, si huic obtemperandum esset consilio, vereor, ut bene cum republica ageretur. Sic enim necessarium foret, iis omnibus obstetricio munere interdici, qui, quamuis in hac arte dexterrimi et exercitatissimi sint, ea chirurgicarum operationum peritia animique constantia ac fortitudine carent, qua ad sectionem vteri grauidi, vel ossium pubis discissionem opus est; et in horum locum suffici alios eosque paucos, qui in vtraque arte excellunt. Hi vero, ut pauci, labori impares forent; frequentissime enim incidunt partus laboriosi et difficiles, artis auxilium poscentes; contra (quod generi humano gratulamur) sectionis caesareae et synchondrotomes rara omnino est necessitas, eaque, vbi occurrit, id in magnis plerumque urbibus est, earumque vicinia, vbi chirurgos peritos, qui obstetricanti auxilium ferre possint, habemus. Neque omittendum esse credo, perpaucos inueniri chirurgos, qui in omnibus omnino operationibus eadem manuum dexteri-

dexteritate excellent, cum multi sint, qui aliquas tantum operationes docte et subtiliter exercent, prouti vel ingenio, vel crebriore eas instituendi opportunitate hanc peritiam sibi studiose compararunt. — Quae cum ita sint; non video, cur eadem venia medicis obstetriciis deneganda sit.

Denique, si nihil aliud est, quod alterutri, de qua nunc loquimur operationi chirurgicae obstet, hoc tamen ab illa haud raro deterrere potest, quod videas, mulierem sanguine iam exhaustam et paene exanimem, vel morbo graui quocumque laborantem, illi sine certissimae mortis discrimine sustinendae omnino imparem fore. Quid enim speres vulnus tam amplum tamque horrendum, quod ne sane quidem mulier impune passura esset, in debili corpore, humorumque putredine aliisque vitis labefactato, apte ac facile conglutinari iterum posse?

§. 5.

Si igitur nulla ratione parturienti aut eius amicis sectionem caesaream, summe necessariam, medicus persuadere potest, si ipsi dexteritas animique constantia ad eam perficiendam omnino desunt, aut, si qua alia causa est, quae hanc chirurgiam prospere cadere haud patiatur; porro, si sectione synchondroseos tantum ampliari angusta peluis nequit, quantum ad tantae molis caput extrahendum sufficiat; in tali peluis angustia, exhaustis propemodum matris viribus omnibusque frustra tentatis enchiretibus, nihil, si quid video, chirurgus, quod faciat, relinquitur, nisi foetus viui adhuc capitis perforatio. Durissima certe necessitas est, quae infantem in ipsa vitae ianua morti deuouet, vt mater salua sit, dum hanc cum illo simul

simul seruari impossibile est. Nescio autem, an aequiore et tranquilliore animo ferri possit puerperae mors, quae saepissime in ea, quam posui, rerum conditione, procrastinata foetus dissectione accidit, cum cogites, te cunctatione et vitam foetus incertam seruandi studio, matris vitam perdidisse. Quod consilium supra iam recensitum, vehementer quidem probandum est; dummodo semper illi sine noxa obtemperare licitum esset! Etenim, quod officii ratio ipseque humanitatis sensus ab vnoquoque medico postulat, vt occidat neminem, quem seruare nequeat; id quidem obstetricanti etiam tenendum est, neque citius truculentas manus infanti foetus capiti inferre debet, quam matris vita, cunctatione mortisque foetus expectatione vehementer periclitatur. Immo vero nihil, vt infanticidii necessitatem declinet, intentatum relinquere, nihil inconsulto et festinanter in grauissima causa decernere vel agere debet. Exemplo sit femina, ruri degens. Ponamus eam per aliquot dies obstetricis imprudentis manibus iam commissam, omnes disperdidisse vires, siue nimia corporis agitatione, siue nimia sanguinis iactura id factum sit; peluim eius capite exitum moliente angustiorum esse, vel foetus caput in ipsam ita impactum esse, vt neque forcipis ope, neque alio modo dimoueri vel adeo extrahi queat, sectionem vteri ossiumue pubis impossibilem esse, et, quo magis denique cunctemur, eo certius feminae mortem expectandam esse*). Adde; eam iam plures antehac peperisse infantes viuos, quorum vt marito, vt ipsi reipublicae, illam in viuis superesse multum interest;

*) Qua cunctatione in tali casu nonnunquam vteri rupturam accidere posse, nonnunquam vidi. Conf. etiam Excl. *Gebleri* programm. de vteri in partu rupti therapia Lips. 1784.

interest; infantem autem, quem nunc enixura est, seruari nullo modo posse, et, si seruetur, admodum incertum esse, an diu luce fruiturus, an per tot vitae tenerrimae et sanitatis discrimina ad virilem aetatem peruenturus sit. Annon quaeso, pensitatis hisce omnibus, iustoque et matris et foetus vitae pretio statuto, consultius videbitur, foetus mortem, quam ille tamen effugere non potest, accelerare, quam otiosa illius commiseratione miseram matrem in certissimum mortis periculum adducere?

Quorsum vero haec omnia? Scilicet ut ostenderem, quam arduum sit, in eo parturitionis statu, qui foetum viuum per genitalia prodire non permittit, consilium extemplo ita capere, ut neque puerperae salutem negligas, neque propriam famam pessundes. Mihi vero, haec omnia consideranti persuasum est, in tam tristi casu omnibus adminiculis incassum antea adhibitis, medicum melius plerumque et publicae saluti, et suae conscientiae ac famae consulere, si foetus, siue iam mortuus sit, siue adhuc viuat, caput discindat, quam si puerperam destituat mortique certae committat, vel operationi subiiciat, quam neque semper instrui posse neque probabilem vitae spem facere diximus. Nemo tamen putet, me infanticidii causam agere, aut illa tempora reuocare velle, ubi crudeli ac immani ausu infantes nascituros dilaniare, prolapsa eorum bracchia amputare, crania perterebrare, cerebra eximere absque vlla et matris et foetus vitae ratione habitata ipsi artis magistri consueuerant. Hoc tantum volo, saepe numero ob magnam peluis ossae angustiam et malam eius formam, ob nimiam foetus praecipue capitis eius molem ac deformitatem aliasque causas medicum obstetricantem eo adduci posse, ut urgente necessitate coactus et frustra antea susceptis variis enchirisis matris, quam foetus vitae

vitae parcere malit! Nam si incassum quicquid ars sua
 habet auxilii, medicus obstetricius impendit, nec ven-
 trem feminae, vel ossa pubis secare licitum est, humanius
 eum agere existimamus, si foetui vitam adimat, quam si
 inuiti huius commiseratione eo se adduci patiatur, vt
 matrem, auxilio omni destitutam morti certissimae tradat.
 Equidem, si quid criminis habet huiusmodi infanticidium
 (quod tamen nullum esse puto, cum in foetum, cui omnis
 vitae spes ab ipsa natura adempta est, et matris seruandae
 causa committatur), id non medicis exprobrandum esse puto
 sed magistratibus et legislatoribus. Ab his enim, cum
 reipublicae ciuiumque singulorum saluti prospicere debeant,
 inter alia multa etiam hoc iure meritoque postulatur, vt
 feminas deformes et gibbosas, quarum pelues distortae
 viuos infantes in lucem edi non permittunt, viris nubere
 haud patiantur, iisdem iam maritatis et infelici partu foe-
 tus capite truncandos enixis, diuortium auctoritate publi-
 ca indicant. Quod nisi faciant, se solos incusare debent,
 quodcumque tristis illa viuos foetus in matris sinu inter-
 ficiendi necessitas incidit, quam crebro incidere non mi-
 rum est, dum nulla lex est, quae feminas puerperio non
 idoneas a coniugio arceat. Quidquid enim faciant me-
 dici, quidquid moneant atque rogent, vt tales mulieres,
 foetus dissectione seruatae, a virorum amplexu dehorten-
 tur, surdis illud auribus dictum est. Optime autem cum
 republica priuatorumque salute ageretur, si caueri posset,
 ne vllae essent feminae, quibus vel matrimonio interdice-
 re, vel nuptis et parturientibus foetus excidio vitam ser-
 vare oporteret. Quis autem est, qui ignoret, hoc impos-
 sibile esse, nisi sexus sequioris educatio et vniuersa vitae
 ratio naturae conuenienter instituatur, animisque femina-
 rum damnosa illa vanitas euellatur, qua occoecatae vesti-

tus lenocinio, vt procis placeant, iunceam gracilitatem affectare, quam foecundae matres esse malunt. Equidem probe video, quam difficile sit, hoc efficere, sed hac ipsa re persuadeor, legibus deformium feminarum matrimonia permittentibus, et pernicioso illo formae cultu, qui deformes reddit, non abrogato, tristes illos casus puerperii, foetus truncatione terminandi nunquam defuturos esse.

§. 6.

At, si eiusmodi acciderit infortunium, vt foetum per matris genitalia viuum in lucem prodire plane impossibile sit, medicus obstetricius omnia sedulo circumspicere et pensitare debet. — Et ab initio quidem

1) feminae habitus vultusque conditio perlustranda, pulsus explorandus, elapsi temporis spatium computandum est. Deinde opus est percontari, quae in graviditate vel nuperrime acciderint, quo victu mulier vsa sit, an pluries iam pepererit, et viuum prolem semper enixa sit: an facilis parturitio olim fuerit, an difficilis et instrumentis adiuvanda: an nunc dolores ad partum iam defierint, an adhuc durent?

2) Medicus rerum statum ipsamque pelvis osseae conditionem ac diametrum, capitis aut alius partis in vtero obviae situm ac magnitudinem, pelvis spatio haud congruentem exploret, vitam aut mortem foetus, quantum id fieri potest, perscrutetur, aliorum impedimentorum vitiorumque, si quae sunt praeter pelvis osseae distorsionem, causas studiose perquirat.

3) Omnes omnino enchireses manibus tum nudis, tum armatis perficiendas, variosque parturientis situs iuvandi partus causa experiatur, antequam aliud capiat auxilium.

4) Porro, si omnibus artificiis frustra tentatis, nihil se proficere videat, studiose et accurate perpendere debet, quid sibi nunc faciendum sit, vtrum sectionem caesaream instituere, an pubis ossa discindere, an denique foetus caput ferramento immisso perfodere praestet. Nam singulae istae operationes suae, quibus commendentur, commoda habent.

5) At nihil inuita, et inopinante muliere molendum est, cum de eius vita et salute nunc agatur. Propterea tum illi, tum cognatis medicus consilium, quod cepit, aperire, eiusque operationis, quam maxime convenire putat, necessitatem atque utilitatem, non intermissa tamen periculi commemoratione, ostendere debet. Si autem illis, ut sectioni caesareae vel synchondrotomiae mulier se submittat, persuaderi nequit; videndum est,

6) An sine matris periculo mors foetus expectari possit. Quod, si fieri potest, nihil molendum est. Si autem

7) ex signis, vteri rupturam, vel aliud graue periculum portendentibus constiterit, diuturniorem foetus in vtero moram perniciosam fore, de eo, an viuat ille, an iam mortuus sit, nihil amplius sollicitum esse oportet, sed, quae necessitas iubet, facere, et caput foetus perterebrare et cerebro expresso cranium eximere, ita tamen, ut caueatur sedulo, ne mulier, vteri vel alius partis laesione detrimentum capiat.

Appendicis loco descriptionem foetus monstrosi, effigie illustratam, addere liceat. Accersebar anno 1790, mense Julio, in pagum quendam suburbanum ad feminam, cuius ex vtero portentum prospicere superstitiosae obstetrici videbatur. Explorato rerum statu inueniebam quidem caput in inferiorem peluis aperturam ingressum, sed plane singulari forma praeditum. Nesciebam, quid esset prodigii, praesertim cum incredibili foetore cadaueroso ex vtero puerperae spirante, tantum non suffocarer. Tandem sola naturae opera infantem viuum mater enixa est, cuius insolenti horridoque adpectu omnes percelleremur. Tres dies infans vixit, mortuus postmodum ex defectu alimenti, quod, si ori forte instillabatur, mox praefocatus respuebat. Non dubitabam, sub singulari ista corporis externa forma monstrosam latere partium fabricam, praesertim cum deglutitio plane esset impossibilis, digitoque admoto gula cum larynge in communem saccum confluere videretur. Vehementer igitur optabam, vt hoc monstrum cultro anatomico subiicere mihi liceret. At parentes, nescio qua superstitione ducti, dissectionem eius pertinaciter recusabant, nec vllis precibus commoveri poterant, vt cadauer domum asportandum mihi traderent. Caeterum puerpera, roganti mihi, an quidquam finistri sibi, dum vterum ferret, acciderit, respondit, se nullius vel terroris, vel infortunii, vel grauioris animi adfectionis, quam passa esset, meminisse neque praeter consuetudinem aegrotasse, nisi quod subinde in latere dextro dolorem pungentem senserit.

TABULAE EXPLICATIO.

Ostendit faciem anteriorem et externam foetus feminini octimestris, insigniter monstrosi. Notanda sunt inprimis

A. Caput, a consueta forma in eo abhorrens, quod

- a) suprema eius pars s. capillata admodum depressa erat.
- b) Illa loca, vbi in caeteris tubera frontalia deprehenduntur, plana depressaque ac multis fetis obsessa erant.
- c) Ex vtraque orbita oculorum loco propendebant globi carnosissimi, sanguinei, admodum sensiles.
- d) Naso et e) auribus prorsus carebat, si exceperis foramina, quae ibi in conspectum veniebant.
- f) Os turpiter hiabat eiusque

1) labia tenuia, nimis expansa ab ipso margine inferiori ossium nasi, quae ibi deerant, porrigebantur et in orbem ducta ad marginem maxillae inferioris excurrebant, ita, vt libere paterent,

2 — 3) Gingivae et lingua sat magnae, in medio 4) profunde vsque ad fauces sulcata.

B. Manuum loco erant tubera, cutis colori dissimilia, quarum extrema verrucas quasdam siue excrecentias digitorum formam male mentientes gerebant.

C. Pedum eadem erat forma, exceptis excrecentiis, quae ibi deerant.


D. Labia pudendi externa reflexa erant, vt hymen a) facillime conspiceretur.

E. Tumidus venter cum funiculo vmbilicali putredine exeso.

Orificio ani prorsus carebat.

Totius cutis color rufus erat flauo mixtus, et per totam corporis superficiem innumerabiles discurrerant fissurae dispari forma ac colore, qui in aliis ruber in aliis coeruleus erat. Ex his humor purulentus foetidus stillabat.





A

B

S

I

H

A

D

X

C

O

Med. Hist
w/4
L53
1792
R.1